

875. V, 2-5 — Bula de Leão X, *Insuper eminentis*, pela qual concedia aos priores-mores dos mestrados de Santiago e de Avis, que pudessem usar as insígnias pontificais. Florença, 1515, Fevereiro, 15. — *Pergaminho. Bom estado. Selo pendente de chumbo.*

*Leo episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

*Insuper eminentis apostolice dignitatis specula meritis licet imparibus divina disponente clementia constituti ad ea nostre considerationis aciem solícite dirigimus per que personarum quarumlibet presertim sub religionis jugo altissimo famulantium et pro orthodoxe fidei defensione pugnantium commodis et necessitatibus ac animarum saluti consulatur illisque honor accrescat et persone a recta bene vivendi norma deviantes ad statum honestatis gressus suos dirigendum reduci valeant ac alia concedimus prout in domino conspícimus salubriter expedire.*

*Dudum siquidem dilectorum filiorum nobilis viri Georgii ducis Colimbrensis Sancti Jacobi de Spata Sancti Augustini et de Avis Cisterciensis ordinum militiarum regno Portugallie magistri generalis per sedem apostolicam deputati ac universorum fratrum earundem militiarum supplicationibus inclinati ut fratres et milites militiarum earundem in eorum prospero et tranquillo statu quietius vivere possent quod extunc decetero perpetuis futuris temporibus fratres dictarum militiarum ratione excessuum et delictorum per eos pro tempore perpetratorum per sedem predictam et prefatum Georgium magistrum et alios earundem militiarum superiores pro tempore existentes duntaxat juxta excessuum et delictorum qualitatem corrigi et puniri deberent apostolica auctoritate statuimus et ordinavimus districtius inhibentes archiepiscopis episcopis aliisque ordinariis quibusvis in quorum civitatibus et diocesibus beneficia et alia bona ad eosdem fratres pertinentia consistebant ne dictos fratres occasione delictorum et excessuum hujusmodi etiam ratione beneficiorum ecclesiasticorum per eosdem fratres pro tempore obtentorum quorum collatio provisio seu quaevis alia dispositio ad eosdem archiepiscopos episcopos et alios ordinarios pertinebat seu in quibus visitationis officium eis competeat perturbare aut inquietare persumerent quoquo modo decernentes quoscunque processus et sententias per archiepiscopos episcopos et alios ordinarios prefatos contra eosdem fratres extunc faciendos et habendos nullos et invalidos nulliusque roboris vel momenti existere prout in nostris indeconfectis litteris plenius continetur.*

*Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte eorundem Georgii magistri et fratrum petitio continebat premissis non obstantibus magister et fratres predicti sepenumero per locorum ordinarios communitates civitatum universitates opidorum dominos temporales et diversas alias ecclesiasticas et seculares personas in dies diversis mediis et exquisitis coloribus in rebus personis et bonis molestentur illisque injurie et jacture inserantur et diversis processibus involvantur militieque hujusmodi nullos habeant in communi speciales fructus seu proventus ad processum et*

virium earundem militiarum hujusmodi tuitionem defensionem seu prosecutionem limitatos seu deputatos pro parte eorundem Georgii magistri et fratrum nobis fuit humiliter supplicatum ut eis in premissis de oportune subventionis ope providere de benignitate apostolica dignaremur.

*Nos* igitur eosdem Georgium magistrum et fratres ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis siquibus quomodolibet innodati existunt ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati quod decetero perpetuis futuris temporibus tertia pars fructuum reddituum et proventuum cujuscunque primi anni quarumcunque preceptoriarum etiam commandariorum nuncupatarum dictarum militiarum in dicto regno consistentium quotiens illa simul vel successive per cessum vel decessum seu quamvis aliam dimissionem illa obtinentium etiam apud sedem predictam preterquam ex causa permutationis vacare contigerit pro thesauro dictarum militiarum tanquam et debita pro defensione jurium sit et esse ac in praedictos et alios licitos et honestos militiarum earundem usus converti debeat ita quod fructus hujusmodi penes duos fratres cujuslibet dictarum militiarum fide et facultatibus idoneos qui ipsarum militiarum thesaurarii nuncupentur et per magistros earundem militiarum pro tempore existentes eligi debeant teneantur et custodiantur nec aliquo modo nisi de magistrorum et magniprioris ac judicum militiarum earundem pro tempore existentium voluntate et assensu exponi possint. *Quodque* liceat prefato Georgio et pro tempore existentibus militiarum hujusmodi magistris et diffinitoribus in capitulo generali per fratres earundem militiarum electis preceptorias prioratus beneficia loca omnia et personas dictarum militiarum in capite et in membris reformare necnon stabilimenta et statuta licita et honesta ac sacris canonibus non contraria condere et aliqua jam condita in totum vel in partem tollere mutare corrigere vel modificare seu de omnibus unam compilationem facere.

*Praeterea* quod dilecti filii moderni et pro tempore existentes magnipriores de Palmella et de Avis monasteriorum dictorum ordinum et militiarum Ulixbonensis et Elborensis diocesis mitra anulo sandaliis cirothecis et aliis insigniis et ornamentis pontificalibus uti ac missas et alia divina officia solemniter celebrare et quotienscunque solemniter celebraverint benedictionem solemnem post missarum vesperorum et matutinarum solemnia populi ibidem esistenti dummodo apostolice sedis legatus vel aliquis catholicus antistes ibi presens non fuerit tam in eorum monasteriis quam aliis ecclesiis etiam parochialibus et locis dictis militiis mediate vel immediate subjectis elargiri ac vestes vasa et alia ornamenta ecclesiastica et sacerdotalia ad divinum cultum necessaria et pertinentia quotienscunque opus fuerit benedicere ac omnibus et singulis dictarum militiarum subditis fratribus et vasallis idoneis quatuor minores ordines seu primam clericalem tonsuram alias tamen rite conferre necnon omnes

et singulas etiam parrochiales ecclesias eisdem militiis subjectas et capellas altaria et cimiteria earundem ecclesiarum aqua primitus ut moris est per aliquem catholicum antistitem benedicta quotienscunque effusione sanguinis vel seminis polluta fuerint reconciliare ac omnium et singulorum utriusque sexus christifidelium quorumcunque eisdem prioribus confiteri volentium confessiones audire et a quibuscunque casibus preterquam sedi predictae reservatis etiam ab illis quorum absolutio de jure vel consuetudine locorum ordinarii reservata existit absolvere et eis penitentiam salutarem injungere ac eucharistie et alia ecclesiastica sacramenta ministrare. *Necnon* easdem indulgentias et peccatorum remissiones quas archiepiscopi episcopi abbates et alii prelati ecclesiastici eorum subditis de jure vel consuetudine concedere possunt ipsi magnipriores omnibus et singulis fratribus militibus subditis et vasallis dictarum militiarum tam secularibus quam ecclesiasticis et religiosis quorumcunque ordinum et sexus utriusque concedere. *Quodque* tam dicti magnipriores quam ceteri preceptores et religiosi presbyteri militiarum predictarum eorum parrochianos subditos et vasallos predictos quotiens opus fuerit ab omnibus et singulis eorum peccatis excessibus et delictis non tamen sedi prefate reservatis et a quibus prefati ordinarii absolvere possunt confessionibus eorum diligenter auditis eisque penitentiam salutare injungere necnon quod prefatus Georgius et pro tempore existentes dictarum militiarum magistri necnon fratres et persone quecunque eorundem omnibus et singulis exemptionibus immunitatibus privilegiis gratis indultis et concessionibus in spiritualibus et temporalibus dicto ordini Cisterciensi illiusque personis et locis in genere vel in specie per sedem predictam hactenus quomodolibet concessis confirmatis et approbatis ac iteratis vicibus innovatis uti totiri et gaudere possint et valeant perinde ac si dictis militiis et earum singularibus personis per sedem eandem concessa forent eaque ad easdem militias illarumque magistros priores preceptores fratres ecclesias et loca ac personas familiares et vasallos presentes et futuros in genere se extendere eaque illis expresse concessa esse.

*Demum* quod priores preceptores et persone quicunque militiarum hujusmodi pro tempore existentes ubicunque constituti ad observantiam jejuniorum adventus et aliorum quorumcunque preterquam illorum ad que observanda ceteri christifideles tenentur minime teneantur nec astricti sint sed carnibus temporibus quibus alii christifideles vescuntur quarta feria cujuslibet ebdomade duntaxat excepta sine scrupulo conscientie libere vesci quodque singuli ex fratribus militiarum hujusmodi sex missas pro salute animarum omnium defunctorum celebrando a celebratione duarum missarum pro singulis fratribus defunctis militiarum hujusmodi quolibet anno necnon milites et fratres militiarum earundem in sacris non constituti qui contra Christi nominis inimicos hujusmodi indefesse militare non cessant psalmos penitenciales cum eorum litania et orationibus solitis aut officium beate Marie Virginis seu defunctorum recitando a recitatione certi numeri orationis dominice et salutationis angelice

adque tenentur absoluti sint et aliter celebrare seu recitare nisi prout illis indebitur minime teneantur nec ad id a quoquam inviti compelli possint et valeant auctoritate apostolica prefata tenore presentium etiam statuimus et ordinamus.

*Quocirca* universis et singulis archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus prioribus et aliis prelati ac personis in dignitate ecclesiastica et ubilibet constitutis per apostolica scripta mandamus quatinus ipsi vel due aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes litteras et in illis contenta quecumque ubi quando et quotiens opus fuerit ac pro parte Georgii magistri fratrum priorum et preceptorum aliorumque quorum interest predictorum seu alicujus eorum desuper fuerint requisit publicantes ac eis in premissis efficacis defensionis presidio assistentes faciant auctoritate nostra statutum et ordinationem per easdem presentes facta hujusmodi ac omnia et singula in eisdem presentibus litteris contenta per quoscunque locorum ordinarios et alios cujuscunque dignitatis status gradus vel conditionis existentes per excommunicationis et alias sententias censuras et penas ecclesiasticas seu temporales etiam pecuniarias firmiter observari non permittentes eosdem Georgium magistrum priores preceptores et alios quorum interest per prefatos locorum ordinarios seu alios quoscunque desuper quomodolibet molestari et nichilominus eos quos statutum et ordinationem ac alia premissa in presentibus litteris contenta minime observasse et illis contravenisse eis constiterit censuras hujusmodi incurrisse declarent et in eventum declarationis ejusdem ac legitimis super hiis servatis processibus censuras ipsas quotiens opus fuerit iteratis vicibus aggravent et loca in quibus eos morari seu adque declinare contigerit ecclesiastico supponant interdicto contradictores quoslibet et rebelles per censuras easdem appellatione postposita compescendo invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis non obstantibus felicis recordationis Bonifatii Papae viij predecessoris nostri qua inter alia cavetur nequis extra suam civitatem et diocesem nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dictam a fine sue diocesis ad judicium evocetur seu ne judices a sede deputati predicta extra civitatem vel diocesem in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere aut alii vel aliis vices suas committere presumant et de duabus dictis in Concilio Generali edita dummodo aliquis auctoritate presentium ultra tres dietas non trahatur et aliis apostolicis constitutionibus et predictorum et quorumvis aliorum ordinum ecclesiarum et locorum juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus stabilimentis usibus et naturis privilegiis quoque et indultis apostolicis illis et quibusvis locorum ordinariis et personis tam ecclesiasticis quam secularibus concessis quibus in quantum effectui presentium in aliquo prejudicarent etiam si ad illorum derogationem de illis illorumque totis tenoribus de verbo ad verbum specialis specifica et expressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum presentibus

insererentur pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscunque aut si ordinariis et personis prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cujuscunque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Ceterum quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca in quibus expediens fuerit deferre volumus et dicta auctoritate apostolica decernimus quod illarum transumptis manu alicujus notarii publici indrogati subscriptis et sigillo alicujus curie ecclesiastice aut persone in ecclesiastica dignitate constitute munitis ea prorsus fides in omnibus et per omnia tam in iudicio quam extra illud adhibeatur que presentibus adhiberetur si essent exhibite vel ostense.

*Nulli* ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis statuti ordinationis mandati derogationis voluntatis et decreti infringere vel ei ausu temerario contraire.

*Siquis* autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

*Datum* Florentie anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo quinto decimo Kalendas Martii Pontificatus nostri anno tertio.